



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

50. An Inquisitores possint admittere ad accusandum inimicum capitalem:
Et an in accusatione hæresis non sint necessariæ solemnitates legis
libellorum: Et an in accusatione porrecta contra Hæreticum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XLIX.

An in ratificatione testium debeant Inquisitores eis prebere, si petant, primam attestationem?
Et an in ratificatione testium Procurator fiscalis non possit esse presens? Ex p. 4. n. 8. Ref. 17.

§. 1. **C**ertissimum est quod testes in summario iudicio recepti, & examinati in plenario, medio prestituto iuramento, debent iterum examinari & reproduci, seu, quod vulgo dicitur, ratificari, & quod aliter nec fidem faciunt in iudicio. Hoc supposito ad dubium propositum sic respondet Simanca in *instit. cathol.* tit. 64. num. 24. & 25. Cum autem obiecta crimina negat reus, tunc accusatione à Procuratore fiscali post admonitiones edita, testes iterum ab Inquisitoribus vocandi & rursus interrogandi sunt, quod fieri solet non offenso illis priori testimonio, ut rectè intelligi queat: utrum vera, vel falsa dicant, mendacem enim memorem esse oportet, quamvis in aliis causis aliud fieri debeat, ne testis anceps perjurium subite cogatur. Præterea cum in hac posteriori testium examinatione, omne ferè testimoniorum pondus perficiat, quamvis reus dicat se habere velle testes, ut vulgo dicunt, pro ratificatione, nihilominus iudices eodem iterum examinare & interrogare debent, ne forte defensor reorum pereat, cui ne nominatim quidem renunciare queunt. Ita Simanca.

2. Sed hanc sententiam quoad primum dictum, si longum tempus sit elapsum, inhumanam vocat Ioan. Rojas *singul.* 206. num. 2. ubi sic ait: In crimine hæresis testes debent iterum suum dicere testimonium, non offenso, vel exhibitio priori dicto, secundum aliquos, quod satis inhumanum, meo iudicio, esse arbitror, nam si longum tempus esset elapsum, jam primæ attestationis testis esset penitus oblitus, cum labilis sit hominum memoria, ideo cautus testis dicat, quod si apparuerit aliter dixisse in alia examinatione quam hæc, quod ex nunc corrigat dictum suum, & illud reducat ad primum dictum, cum illo tempore melius huius rei erat memor. Hæc Rojas.

3. Nota etiam quod M. Anton. Genuensis in *praxi Archiep.* cap. 68. num. 4. quoad secundum dictum Simancæ sic asserit. Si inquisitus veller habere testes fiscales pro repetitis, Curia procedit ad ulteriora, nisi aliud faciendum videretur, quia ut reus defendatur, solet Curia repetere ex officio testes, licet reus habeat ipsos pro repetitis. Ita ille, qui sibi videtur contradicere. Vnde his omnibus minime obstantibus, & praxi Sacre Inquisitionis Hispaniæ, non recedit ab opinione Simancæ, quam etiam approbat novissimè Bobadilla in *polit. lib. 2. cap. 21. num. 3.* Suarez de Paz in *praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 9. num. 6.* Ludovicus Miranda de ordine iudiciario *tom. 1. quæst. 18. art. 7. in fin.* & Genuensis ubi *supra* num. 3. ubi ait, non esse legendam testibus primam depositionem; & Suar. de Paz in *praxi tom. 1. part. 5. quæst. 4. §. 9. num. 3.* asserit, quod non sufficit, quod rei habeant testes pro repetitis. Vide etiam Simancam *tit. 24. num. 24.* ubi ponit praxim, quando testis in ratificatione sibi contradixit, sic enim ait. Si posteriora testimonia cum prioribus congruentia non fuerint, tunc testibus legi debent priora testimonia & interrogandi sunt, cur illa tam variè dixerint, & modeste monendi sunt, ut in veritate persistant; postremò quidquid responderint, scribendum est, & testes variè ac vacillantes in custodiam mittendi sunt, & si id causa deposcit, torquendi & puniendi sunt. Ita Simanca.

4. Verùm non desinam hic apponere in gratiam lectorum ea, quæ circa præsentem questionem deter-

Tom. V.

minat Instructio Tolet. an. 1561. edita Martii anno 1574. ubi *num. 30.* sic ait. [Los testigos se ratifican en la forma del derecho ante personas honestas, que seran dos Ecclesiasticos, que tengan las qualidades que le requieren, Christianos viejos y que hayan jurado el secreto, y de que se tengan buena relacion de su vida y costumbres, ante los quales se les diga como el fiscal los presenta por testigos. Preguntese les si se acuerdan haver dicho alguna cosa ante algùn juez in cosas tocantes a la fe y si dixere que si diga la sustancia de su dicho, y si no se acordare hagansele las preguntas generales por donde se pueda acordar de lo que dixo, y si pidiere que se lea, hazer se ha assi. Ita ibi.]

5. Nota etiam quod in ratificatione testium Procurator fiscalis non potest esse presens, & sic habetur in ejus *Instruct. num. 4.* edita Martii 1576. ubi sic ait. [Los fiscales de las Inquisiciones al tiempo que presentaren sus testigos para los ratificar despues que en su presencia por los Inquisidores les sea recebido juramento no esten presente ni los Inquisidores se le permitan.]

RESOL. L.

An Inquisitores possint admittere ad accusandum inimicum capitalem?

Et an in accusatione hæresis non sint necessariae solemnitates legis libellorum?

Et an in accusatione porrecta contra hæreticum per Procuratorem fiscalem non debeatur apponi locus loci, & tempus præcisum commissi criminis, sed tantum mensis, & annus, & oppidum, seu Civitas? Ex part. 4. tract. 8. Ref. 40.

§. 1. **R**esponder Negative Emericus in *direct. Inquisit. part. 3. quæst. 67.* & ibi Pegna *comm. 116.* Carretius *tract. de hæres. n. 107.* & alij, quia inimicus capitalis, & omnes concedunt, repellitur à testificatione in crimine hæresis: ergo repellendus est ab accusatione. Probo consequentiam, quia, ut patet ex *cap. testes 2. q. 7.* & probat fusius Decianus in *tract. crim. lib. 3. cap. 25.* repulsi à testimonio, repellitur ab accusatione: ergo, &c.

2. At his non obstantibus, ego puto inimicum capitalem in causa hæresis admitti posse ad accusandum, cautè tamen & ut suspectus. Et ita hanc sententiam tenet Ferdinand. de Cast. in *op. mor. tom. 1. tr. 4. disp. 8. part. 2. num. 7.* & alij penes ipsum, quibus ego addo Nicolaum Arelatanum *notab. 10.* ubi sic ait: Non ignoras inimicum capitalem repelli ab accusatione: sed hoc verum non est in crimine hæresis, in quo inimicus inimicum accusare potest. Ratio est, nam tunc inimicus dicitur accusare ut persequatur suam & suorum injuriam, quo casu apertissimi juris est inimicum admitti ad accusandum; quod autem dicatur suam, vel suorum injuriam persequi, probatur, nam quæ committuntur in Religionem divinam, omnium injuriam respiciunt, ex *l. Manichæos Cod. de hæres.* Ita Arelatanus. Adde quod in tali casu accusator non probat, sed probationem præbet, & si ad hæresim accusandum inimicus non admitteretur, difficile aliis accusaret.

3. Notandum est hic obiter quod in accusatione hæresis non sunt necessariae solemnitates legis libellorum, *ff. de accusat.* ut advertit Scaccia de *iudiciis lib. 1. cap. 52. num. 3.* & Decianus in *tract. crim. lib. 5. cap. 28. numero 10.* Vnde Paramus de *orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 9. numero 93.* & seqq. dixit in accusatione porrecta contra hæreticum per Procuratorem fiscalem non debere apponi locum loci & tempus præcisum commissi criminis, sed tantum mensis & annum,

Q o 2 oppi

oppidum, seu civitatem. Sed de hac questione vide Simancas in *carbol. instit.* tit. 4. n. 9. & 10. tit. 43. n. 11. Carrerum de *hæret. num.* 109. & Gundisalvum de *hæret. g.* 12. n. 2.

RESOL. LI.

Quomodo examinandi sint rei ab Inquisitoribus? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 88.

§. 1. IN causis spectantibus ad fidem cautissimè intendendum est in examine hæretici versuti & calidi. Idem primò reus in causa violatæ Religionis examinandus est de genere suo, de parentibus, de natione & patria, de educatione & disciplina, de bonitate & pravitate, de societate & amicitia, de moribus & verbis, an sciat propter quam causam sit captus, an aliquis habeat suspectos, quos & qua de causa, & insistat Inquisitor in omnibus quæ ad negotium fidei faciunt, superflua & aliena omnino omittendo. Secundò intra primos dies capturæ benignè erunt hi de fide suspecti admonendi ad dicendam veritatem, & dum Inquisitores eos examinabunt, poterit eis humile fedile concedere ad hoc ut magis quietum animum habeant. Tertiò ad habenda indicia eorum status sciscitentur ab eis consuetæ Catholicæ Religionis, quas devotiones habeant, quando & à quo confessi sint, si communicaverint, si Ecclesias frequentaverint, & quas preces solet Ecclesia in præcipuis diebus fundere, & similia perquirere ab eis, quæ ut notissima apud omnes Christianos sciuntur, & hæc omnia docet Michaël Zanardus in *direct. Theolog. part. 3. cap. 87.* quæ adnotare volui, nam deserviunt ad ornatum nostræ Instructionis Toletanæ anno 1561. à num. 13. usque ad num. 16. ubi omnia supradicta & multa alia optimè pro examinandis reis præcipiuntur.

RESOL. LII.

An Inquisitores teneantur, antequam interrogent reos, manifestare infamiam, indicia, vel semiplenam probationem esse contra ipsos, ut intelligant legitime interrogari?

Et supponitur reum non teneri respondere, & veritatem dicere antequam aliquantulum sibi constet processus, acta, & iudicem iustus, & legitime interrogare. Ex p. 4. tract. 8. Ref. 130.

§. 1. SUPpono ex probabiliori sententia, reum non teneri respondere & veritatem dicere antequam aliquantulum sibi constet processus, acta, & iudicem iustus & legitime interrogare, & ita docet Cajetanus in 2. 2. quæst. 69. art. 2. Sotus de *just. lib. 5. q. 9. art. 2.* Navarrus in *manuali cap. 25. num. 33.* Bernardus Diaz in *praxi crim. cap. 126.* & ibi Salzedus Atagon. in 2. 2. quæst. 69. art. 2. Avalos in *direct. part. 2. cap. 14. numero 30.* Miranda in *ordine iudic. quæst. 18. art. 7. conclus. 1.* & ego alibi cum multis aliis. Unde sequitur,

Alibi in to. 6. tit. 1. Ref. 98. quod ut reus teneatur veritatem dicere, debet iudex & ne deferat ei statum processus, & quod ipse procedit iudice nobili legere. Vide Suarez, de Paz in *praxi tom. 5. part. 5. doct. ref. 96. cap. 3. num. 14.*

2. Verum cum hæc omnia vera sint, tamen non procedit hæc sententia in causa hæresis, & sic Inquisitores non tenentur ad supradicta: unde doctus Ludovic. Peguera in *praxi crim. cap. 12. §. 5. num. 13.* sic asserit. In criminibus exceptis, ut sunt hæresis, crimen læsæ Majestatis, & proditio civitatis, non est ne-

cessum, ut reis à iudicibus jus suum, quod habent ipsos interrogandi, reveletur. Non enim tanta infamia, aut tanta solemnitas in his criminibus, quam in privatis ad reos, vel testes interrogandos requiritur. Nam in horum criminum inquisitione procedi potest simpliciter, & de plano, & absque strepitu & figura iudicii, ut habetur in *cap. fin. de hæret. in 6.* Hæc Peguera ubi supra.

RESOL. LIII.

An Inquisitores teneantur dare reo non solum Advocatum, sed etiam Procuratorem?

Et an Inquisitores possint censuris compellere Advocatos, ut alienius rei causæ patrocinium suscipiant? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 9.

§. 1. AFFirmativè responder Instruções Hispal. ann. 1484. n. 26. ubi sic habetur. [Si el reo acusado pidiere que le den abogado y procurador que le ayude devendo dar los Inquisidores recibiendo el llamamiento en forma que ayudaran fielmente al tal acusado, alegando sus legítimas defenciones sin procurar, ni poner cavilaciones, ni dilaciones maliciosas, y que en qualquier parte del pleyto, que supiere y conociere, que su parte no tiene ljusticia no lo ayude mas, y lo dirá a los Inquisidores, y al acusado le deven dar de sus bienes, si los tiene para pagar el salario del letrado y procurador.] Ita ibi. Sed hæc Instruções quoad Procuratorem revocata sunt per aliam Instruções Toletanam ann. 1561. ubi num. 35. sic habetur. [Aunque la Instruções dispone que se de a los reos procurador no se le deve dar, porque la experiencia ha mostrado muchos inconvenientes que dello suelen resultar, y por la poca utilidad que de darle se conseguia a las partes, no esta en estilo de darle, aunque algunas vezes haviendo mucha necesidad se suele dar poder al abogado que lo defiende.] Et sic hodie non datur hæretico reo Procurator, sed tantum Advocatus, ut tradunt Simanca in *Carbol. instit. tit. 1. n. 2. & 3.* Patamus de orig. *Inquis. lib. 3. quæst. 4. n. 48.* Rojas singul. 53. Pegna in *direct. Inquis. part. 3. comment. 28.* & alij.

2. Non desinam etiam hic apponere ad aliorum Inquisitorum instruções, ea quæ dicta Instruções Toletana num. 36. determinat observanda ab Inquisitoribus Hispaniæ circa præsentem materiam rei & Advocati, sic enim habetur. [Si el Reo pidiere papel para escrivar lo que a su defenla tocara devendole dar los pliegos contados y rubricados del Notario y asistente en el processo los pliegos, que lleva, y quando los bolviere se cuenten por manera que al preso no le quede papel, y se asiente así mismo como los buelve, y darle ha recaudo con que pueda escrivar, y quando pidiere que venga su letrado vendra y comunicara lo que le convenga, y le entregara los papeles, que tuviere escritos tocantes a sus defensas que el letrado huviere ordenado antes de presentallas darle se ha lugar, y adviertan los Inquisidores, que el letrado ni otra persona, no trate con los presos cosa ninguna, mas de lo que toca a la defenla y los abogados no se queden con ningun traslado de aculacion, publicacion, ni de las tachas de los testigos, si no que todo le buelva ante de los Inquisidores.] Hæc ibi. quæ multum deservient pro Advocatis, qui vocantur de los presos. Vide Simancam ubi supra, qui etiam notat num. 8. quod ea quæ Advocati allegant reo presente, perinde habenda sunt, ac si ab eodem reo protestantur, nisi forte Advocatus erraverit, & reus intra tri-duum contradixerit, Sed in causa hæresis, etiam post